

MIRACULA POST MORTEM SERVI DEI AUCTORITATE EPISCOPI TUDENSIS D. AEGIDII EXAMINATA

IN DEI NOMINE AMEN.

Notum sit omnibus praesens scriptum inspecturis, quod nos E. Dei gratia Tudensis Episcopus, cum ad nostram frequenter pervenerit audientiam, et super hoc fama publica habeatur, quod per venerabilem virum Fratrem Petrum Gunsalvi Ordinis fratrum Praedicatorum, qui in nostra est sepultus Ecclesia, multa miracula Dominus fecerit, ne forte processu temporis in oblivionem deveniant, ad magnificandam gloriam Dei, et honorem Ecclesiae, quibusdam religiosus viris discretis, fidedignis, commisimus, ut ipsa miracula examinarent, et per testes recepta in scriptis redigerent; quod fecerunt sicut hic subiungitur in hunc modum.

1. Michael Nuni de Nigris Tudensis Dioecesis iuratus et interrogatus dixit, quod cum leprosus fuisset per unum annum et ab hominibus separatus per septem hebdomadas in quadam domuncula commorans secus viam publicam publice mendicaret; tandem facto voto Fratri Petro Gunsalvi ivit cum oblationibus ad sepulchrum eius, et inde rediens omnino curatus est. Et Petrus Ioannis dictus Saxarius, et Guncina Martini uxor illius qui leprosus fuerat, iurati et interrogati idem per omnia asseruerunt.

2. Ferdinando Fernandes de Benviver Tuden. Dioecesis iuratus et interrogatus dixit, quod per annum et amplius leprosus fuerat, adeo quod introitus Ecclesiae sibi omnino prohibebatur, et si forte aliquando intraret Ecclesiam, nullus erat qui sibi vellet osculum pacis dare. Tunc confusus nimio prae rubore eo quod iam sic ab omnibus vitaretur, venit ad sepulchrum fratris Petri Gunsalvi, et fusa prece ad eum, omnino curatus est. Et Petrus Ioannis Praelatus de Benviver, et Nunus Laurentius miles, et Martinus Vital fratres ipsius, qui leprosus fuerat, iurati et interrogati idem per omnia asseruerunt.

3. Elvira Martini de Sta. Christina de Fragoso iurata et interrogata dixit, quod cum per quattuor annos ciragram in manibus perhabuisset, et prae dolore nimio non posset cum illis aliquid accipere, nec opus aliquod exercere, ivit ad sepulchrum fratris Petri Gunsalvi, et ex tunc semper sana fuit; et Durandus Ioannis vicinus eius iuratus et interrogatus idem asseruit.

4. Maria Perez de Varcea de Mera Tudensis Dioecesis, iurata et interrogata dixit, quod per novem menses leprosa fuerat, et per septem hebdomadas lumen amiserat; et facto voto fratri Petro Gunsalvi statim vidit, et veniens ad sepulchrum eius, a lepra curata recesit. Et Petrus Fernandez dictus Lougares iuratus et interrogatus dixit, quod vidit eam prius caecam, et infirmam, postea curatam.

5. Petrus Petri de Villella in Morraco Compostellanae Dioecesis, iuratus et interrogatus dixit, quod habebat filium suum, qui per undecim dies continue vexatus a Daemonio, non comedit aliquid nec bibit; nec umquam dormivit, et multoties rogatum daemonium quod non vexaret eum, dicebat quod non dimitteret illum pro aliquo Sanctorum, nisi pro fratre Petro Gunsalvi. Et adduxit eum cum multis hominibus ligatum ad sepulchrum fratris Petri Gunsalvi, et facta oratione pro eo ad eum, ab his qui tunc aderant, statim qui vexatus fuerat, a daemonio liberatus est, nec postea umquam vexatus est ab illa hora; et Ioannes Pelagii qui cum illo iverat ad sepulchrum, et ille qui vexatus fuerat iurati et interrogati idem per omnia asseruerunt.

6. Maria Gunsalvi de Valadares in Fragoso, Tudensis Dioecesis, vexata a daemonio continue per quattuor dies non comedit nec bibit, nec aliquid locuta fuit, quae cum adducta fuisset ad sepulchrum fratris Petri Gunsalvi, vidit iuxta se Aetyopem quemdam horribilem ultra modum, qui cum eam vellet arripere, subito apparuit quidam senex indutus superpellicio, et ferens cratem in manibus proiiciendo eam super illum. Qui timens fugam arripuit, et statim mulier liberata fuit, et sic senex ille disparuit. Hoc praedicta mulier quae vexata fuerat, iurata et interrogata per ordinem asseruit; et Pelagius Ioannis Sacerdos, et Petrus Ioannis vicinus mulieris iurati et interrogati idem per omnia, excepto de visione, asseruerunt.

7. Ioannes Pelagii, Praelatus Ecclesiae S. Marinae de Covelo, Tudensis Dioecesis, iuratus et interrogatus dixit, quod habebat quamdam filiam coniugatam, quae per duos annos fere quotidie a daemonio vexabatur, et per eam multa quae in terra illa fiebant daemonium loquebatur. Facto autem voto fratri Petri Gunsalvi, statim mulier liberata fuit, nec umquam postea daemonium eam vexavit. Et Laurentius Ioannis frater praedictae mulieris iuratus et interrogatus idem dixit.

8. Petrus Ioannis de Paramis de Canda, Tudensis Dioecesis, iuratus et interrogatus dixit, quod habebat uxorem quae per duos annos frequenter et quandoque quinquies in die, quandoque vis vel ter a daemonio vexabatur, et facto voto fratri Petro Gunsalvi statim daemonium ab ea exivit, nec umquam postea eam vexavit. Et hoc ipsa mulier quae vexata fuerat, et Guncina Ioannis vicina eius iuratae et interrogatae dixerunt.

9. Maria Gunsalvi, de Sancto Petro de Cella, Tudensis Dioecesis, iurata et interrogata dixit, quod eum per annum fere quotidie a daemonio vexaretur, et quandoque novies una die; ad monita in somnis quod iret ad sepulchrum fratris Petri, curata fuit, et semper postea curata vixit. Et Petrus Ioannes de Samaes iuratus et interrogatus idem dixit.

10. Maria Gunsalvi, de Sto. Petro de Cella, Tudensis Dioecesis, cum per annum frequenter a daemonio vexaretur, venit cum oblatione ad sepulchrum fratris Petri Gunsalvi, et statim a daemonio liberata fuit. Hoc Maior Pelagii mater eius et iurata et interrogata asseruit.

11. Maria Nuni de Ervilla in Lauriña iurata et interrogata dixit quod per annum frequenter vexata fuerat a daemonio, et facto voto a viro ipsius fratri Petro Gunsalvi, numquam postea vexata fuit. Et Ioannes Petri vicinus eius iuratus et interrogatus idem dixit.

12. Petrus dictus Mariola de Curugio, Tudensis Dioecesis, cum quattuor annos continue lumen oculorum penitus amisisset, ductus per baculum ad sepulchrum fratris Petri Gunsalvi, facta oblatione et fusa prece ad Deum pro eo, statim lumen recepit, et ex tunc semper vidit. Hoc Petrus Letus filius eius qui eum per baculum duxerat ad sepulchrum; Petrus dictus Ferrarius filius eius, Ioannes Vitalis vicinus illius iurati et interrogati per omnia asseruerunt.

13. Maior Laurentii de Curugio, Tudensis Dioecesis, iurata et interrogata dixit quod per tres menses lumen unius oculi ex toto perdiderat, manum etiam sinistram valde inflatam habuerat, et in manu et in oculo dolorem gravissimum sustinebat; et facto voto fratri Petro Gunsalvi statim vidit, et de manu et oculo curata fuit. Et Maria Petri mater ipsius iurata, et interrogata idem per omnia asseruit.

14. Rodericus Ioannis de Vitae Tudensis Dioecesis, iuratus et interrogatus dixit, quod cum per tres menses ex toto lumen oculorum amisisset, facto voto fratri Petro Gunsalvi statim vidit. Et Maria Michaelis uxor eius iurata et interrogata idem dixit.

15. Martinus Petri de Covelo, Tudensis Dioecesis, iuratus et interrogatus dixit, quod cum per decem hebdomadas gravissimum dolorem oculorum passus fuisset, et ex toto lumen amisisset, facto voto fratri Petro Gunsalvi, statim vidit, et a dolore curatus fuit. Et Marina Sugerii uxor eius iurata et interrogata idem per omnia asseruit.

16. Petrus Didaci de Cordario, Compostellanae Dioecesis, iuratus et interrogatus dixit, quod cum vigilaret ad sepulchrum fratris Petri Gunsalvi, vidit ibi quemdam hominem qui per quinque annos et amplius amiserat lumen, auditum, et loquelam, et facta prece pro eo ab his qui ad sepulchrum pernoctabant, ut Dominus curaret eum meritis fratris Petri, statim vidit, et audivit, et plane locutus fuit.

17. Petrus Saniz de Tambesses in Fragoso, iuratus et interrogatus dixit, quod ex toto lumen oculorum amiserat per tres menses, et veniens ad sepulchrum fratris Petri Gunsalvi, facta oratione ad eum, statim vidit. Et Didacus Aduarii vicinus eius iuratus et interrogatus idem asseruit, excepto quod non aderat quando dictus Petrus Saniz lumen recepit.

18. Petrus Ioannis de Villa veteri, Tudensis Dioecesis, iuratus et interrogatus dixit, quod in uno oculo graviter passus fuerat, et per septem hebdomadas et amplius omnino illius oculi lumen amiserat, et facto voto ab uxore illius quod duceret eum ad sepulchrum fratris Petri Gunsalvi, cum sequenti die iam esset in itinere cum uxore sua coepit parum videre, et veniens ad sepulchrum ex toto lumen recepit, et omnino dolorem amisit. Et Orracha Petri uxor eius iurata et interrogata idem dixit.

19. Guncina Ioannis de Paradauso, Tudensis Dioecesis, iurata et interrogata dixit, quod per duos menses lumen oculorum amiserat, et veniens ad sepulchrum fratris Petri Gunsalvi statim ibi vidit. Et Martinus Ioannis Sacerdos iuratus et interrogatus idem dixit.

20. Orraca Dominici de Baiona Tudensis Dioecesis, iurata et interrogata dixit, quod per duos menses amiserat ex toto lumen unius oculi, et facto voto fratri Petro Gunsalvi, statim ibi plene lumen recepit.

21. Petrus dictus Patus de Coia Tudensis Dioecesis, iuratus et interrogatus dixit, quod per quindecim dies lumen amiserat, et veniens ad sepulchrum fratris Petri Gunsalvi imposita manu super oculos quae sepulchrum tetigerat statim plene lumen recepit. Et Ioannes dictus Villanus de Coia iuratus et interrogatus idem dixit, excepto quod non erat praesens quando dictus Petrus Patus illuminatus fuit.

22. Et Laurentius Ioannis Canonicus Tudensis iuratus et interrogatus dixit, quod cum per novem dies ex toto lumen sinistri oculi perdidisset, venit cum candela ad sepulchrum, fratris Petri Gundisalvi, et ibi lumen recepit.

23. Maria Salvatoris de Perariis in Laurina iurata et interrogata dixit, quod per duos menses continue privata fuerat lumine oculorum, et veniens ad sepulchrum fratris Petri Gunsalvi statim vidit. Et Martinus Ioannis maritus eius iuratus et interrogatus idem dixit.

24. Thomas Martini de Vimarani Tudensis Dioecesis, iuratus et interrogatus dixit, quod cum per duos menses lumen unius oculi amisisset, venit cum oblatione ad sepulchrum fratris Petri Gunsalvi, et statim ibi vidit.

25. Ioannes Petri de Iumicis in Parochia S. Iacobi de Pontilis iuratus et interrogatus dixit, quod cum per quindecim dies ex toto lumen unius oculi perdidisset, et in eodem oculo dolorem gravissimum passus fuisset, ita quod nullo modo quiescere poterat, nec dormire, ivit ad sepulchrum fratris Petri Gunsalvi, et fusa prece ad eum, statim lumen recepit, et a dolore curatus fuit. Et Maria Ioannis uxor illius iurata et interrogata idem asseruit.

26. Laurentius Mr. de Zamaas in Parochia S. Petri de Cella, et Maria Thome uxor eius iurati et interrogati dixerunt, quod habebant filiam quae a nativitate sua per quinquennium

in quolibet mense ultima parte mensis ex toto lumen oculorum diebus quindecim amittebat, quotiens autem luna novabat integrum iterum lumen recipiebat; postquam autem duxerunt eam cum oblationibus ad sepulchrum fratris Petri Gunsalvi continue semper vidit.

27. Martinus Fernandez de Sto. Christophoro, Tudensis Dioecesis iuratus et interrogatus dixit, quod ex percussione fruticis duae spinae sibi in oculo remanserunt, quae adeo alte intraverant, quod omnino non apparentes nullo modo poterant inde trahi, ex quo nimium et non mediocriter aggravatus, invocavit auxilium fratris Petri Gunsalvi, et statim spinae simul ambae per se de oculo exeuntes ceciderunt in gremium coram eo et sic omnino a dolore curatus est. Et Maria Fernandes uxor eius iurata et interrogata idem dixit.

28. Maria filia Monialis Monasterii Doñarum de Miñor, iurata et interrogata dixit, quod ex percussione cuiusdam pali gravissimum dolorem in oculo sustinebat, ita quod multum clamabat nec aliquo modo poterat quiescere vel dormire; veniens autem cum oblatione ad sepulchrum fratris Petri Gunsalvi inde plene curam recesit, et Maior Fernandes Monialis dicti Monasterii iurata et interrogata idem dixit.

29. Petrus Ioannis de Nandin, Tudensis Dioecesis, iuratus et interrogatus dixit, quod per octo dies passus fuerat dolorem gravissimum oculorum, et per triduum non viderat, nec comederat, nec unquam quieverat, et facto voto fratri Petro Gunsalvi statim vidit, et a dolore curatus fuit. Et Maria Ioannis uxor eius idem dixit.

30. Martinus Frs. de Alveus et uxor eius Maria Ioannis iurati et interrogati dixerunt, quod habebant filiam quadriennem quae per unum mensem ex toto lumen amiserat, neque per illud tempus oculos aperuerat, et quadam die dum esset in domo dixit aviae suae; Succurrite mihi mater mea, quia Dominus Petrus Gunsalvus intravit per fenestram, et dedit mihi alapam, et aperuit mihi oculos et video, et ex tunc praedicta puella semper vidit.

31. Orracha Salvatoris de Sancta Leocadia in Laurina, iurata et interrogata dixit quod per quinque menses ex toto auditum amiserat, ita quod quamvis multum clamaretur super eam, nil penitus audiebat; et veniens cum oblatione ad sepulchrum fratris Petri statim ibi audivit campanas Ecclesiae pulsari, et ex tunc semper audivit, et P. Ioannis maritus eius iuratus et interrogatus idem dixit.

32. Petrus Ioannis de Transrivium Tudensis Dioecesis, iuratus et interrogatus dixit, quod per tres hebdomadas omnino nihil audierat, et veniens ad sepulchrum fratris Petri statim auditum recepit, et Maior Petri uxor eius iurata et interrogata idem asseruit.

33. Simon de Sto. Ioanne de Campis Tudensis Dioecesis, iuratus et interrogatus dixit, quod per decennium auditum amiserat, et de auribus eius continue foetida sanies

emanabat; et facto voto a matre ipsius fratri Petro quod sepulchrum eius annuatim cum oblationibus visitaret, statim vermes quam plures de auribus exierunt, et audivit, et sanies illa numquam postea emanavit. Et maior Ioannis mater eius iurata et interrogata idem per omnia asseruit.

34. Sancia Roderici Deuma, Tudensis Dioecesis, iurata et interrogata dixit, quod per decem hebdomadas auditum unius auris amiserat, et brachium dextrum cum scapula valde inflatum habebat, nec unquam per illud tempus a lecto surrexerat; et ivit ad sepulchrum fratris Petri Gunsalvi, et statim audivit, et omnino restituta est pristinae sanitati.

35. Ioannes Frs. de Maacedo, Tudensis Dioecesis, iuratus et interrogatus dixit, quod cum fere per annum ex toto auditum perdidisset, venit cum oblatione ad sepulchrum fratris Petri, et ex tunc semper audivit.

36. Ioannes Petri de Corzaes, Tudensis Dioecesis, iuratus et interrogatus, quod cum per quattuor menses auditu penitus caruisset, venit ad sepulchrum fratris Petri, et facta oratione statim plene audivit. Et Orracha Martiz uxor eius iurata et interrogata idem dixit.

37. Elvira Martiz de Rotundela, iurata et interrogata dixit, quod habebat virum qui per magnum tempus ex toto perdiderat auditum, et missa pro eo oblatione ad sepulchrum fratris Petri, eadem die recepit auditum. Et Petrus Odoarii de Rotundela, qui oblatione pro eo portaverat ad sepulchrum, iuratus et interrogatus dixit, quod dimiserat eum surdum, et domum rediens invenit eum curatum.

38. Ioannes Ioan de Navo, Tudensis Dioecesis, iuratus et interrogatus dixit, quod habebat filiam quae per duos annos omnino nil audierat, nisi multum alte exclamaretur super eam, unde per signa ostendebat saepius quod volebat; quae venit ad sepulchrum fratris Petri, et statim plene audivit. Et hoc ipsum puella quae curata fuerat, et Maria Ioannis soror eius quae cum illa iverat ad sepulchrum, iuratae et interrogatae asseruerunt.

39. Ioannes Alfonsus de Valladares, in Fragoso, iuratus et interrogatus dixit, quod per quindecim dies ex toto auditum amiserat, et facto voto fratri Petro, statim plene audivit. Et Alfonsus Petri pater eius iuratus et interrogatus, excepto de tempore, idem dixit.

40. Elvira Petri de Baiona, iurata et interrogata dixit, se auditum unius auris omnino per duos menses et amplius amisisse; facto autem voto fratri Petro quod pedes et discalciata veniret ad eius sepulchrum, statim recuperavit auditum.

41. Puer quidam annorum quinque balbutiens et surdus a nativitate venit ad sepulchrum fratris Petri, et facta oratione pro eo, statim ibi plene audivit, et recte loquutus est. Hoc

Maria Pequena de Pontilis, mater dicti pueri, et Ioannes Nuni iurati et interrogati per omnia asseruerunt.

42. Maria Letal de Pescariis, Tudensis Dioecesis, iuratae et interrogata dixit, quod habebat filium duos annos habentem et dimidium, qui numquam loquutus fuerat, et adduxit eum cum oblatione ad sepulchrum fratris Petri, et facta oratione pro eo eadem die antequam exiret de Civitate puer plane loquutus est. Et Maria Petri avia pueri, quae eum cum filia sua supradicta duxerat ad sepulchrum, iurata et interrogata idem per omnia asseruit.

43. Elvira Alfonso de Salzedo, iurata et interrogata dixit quod habebat filiam suam, quae per tres hebdomadas continue non ambulaverat, nec loquuta fuerat, et adduxit eam ad sepulchrum fratris Petri, et ibi loquuta fuit, et de infirmitate curata recesit.

44. Petrus Miles dictus Lougares, Tudensis Dioecesis, et Sancia Nuni uxor eius iurati et interrogati dixerunt quod habebant filium qui per viginti et unum diem graviter infirmus fuerat, et per illud tempus numquam loquutus fuerat; et facto voto fratri Petro statim puer loquutus est, et restitutus est pristinae sanitati.

45. Dominicus Fernandes de Salvaterra iuratus et interrogatus dixit, quod per decem menses graviter afflictus fuerat in capite et in aure, et de ipsa aure fluebat sanies in magna quantitate; et facto voto fratri Petro quod annuatim sepulchrum eius cum oblatione visitaret, si infra octo dies ipsum ab illa infirmitate curaret, usque ad triduum plenam sanitatem recepit.

46. Maior Fernandes de Vilar iuxta Alvetis, iurata et interrogata dixit, quod per quinque dies habuerat guttur valde inflatum, et non comederat, nec biberat, nec dormierat, nec loquuta fuerat; et facto voto fratri Petro statim loquuta est, et plene curata est, et Petrus Petri vir eius iuratus et interrogatus idem asseruit.

47. Maior Petri de Turre in cauto de Longavares, iurata et interrogata dixit, quod per triennium habuerat labium superius valde inflatum, de quo per tria foramina sanies effluebat, et ivit cum oblatione ad sepulchrum fratris Petri, et facta oratione labium deinflatum est, et de fistola omnino curata est.

48. Domina Tota de Baiona, iurata et interrogata dixit, quod per annum passa fuerat fistulam in tibia, de qua continue non cessabat sanies emanare, veniens autem ad sepulchrum fratris Petri Gunsalvi statim curata fuit. Et Maria Midi mater eius quae cum ea iverat ad sepulchrum, iurata et interrogata idem dixit.

49. Ioannes Alvar, de Baiona, iuratus et interrogatus dixit, quod cum ad sepulchrum fratris Petri cum multis hominibus pernoctaret, vidit ibi quemdam puerum annorum fere septem

a nativitate mutum, qui facta oratione pro eo ab illis qui tunc aderant, statim coepit recte loqui, et vocare matrem suam; propter quod Canonici convenientes ad sepulchrum solemnem fecerunt processionem.

50. Petrus Petri de Corugio et uxor eius Dominica Martini, iurati et interrogati dixerunt, quod habebant filium qui per sex hebdomadas habuerat frontem et faciem inflatam adeo quod vix oculi apparebant; habebat etiam in fronte ampullam iuxta ovi anseris quantitatem, et adduxerunt eum cum oblatione ad sepulchrum fratris Petri, et statim facta oratione plene curatus est.

51. Maria Martiz de Sta. Eolalia Dominarum, iurata et interrogata dixit, quod ex visione cuiusdam hominis teterrimi per sex hebdomadas omnino auditum perdiderat et loquellam; facto autem voto a quodam avunculo suo fratri Petro, statim audivit et locuta fuit. Et mater eius iurata et interrogata idem per omnia asseruit.

52. Ferdinandus Ioannes dictus Grovao de Boiona, iuratus et interrogatus dixit se ex toto auditum per dies quindecim amisisse, et facto voto fratri Petro statim audivit. Et Maria Bela uxor eius iurata et interrogata idem dixit.

53. Agnes Ioannes de Cela, Tudensis Dioecesis, iurata et interrogata dixit, quod cum per unum diem et partem noctis os piscis in gutture tenuisset, nec aliquo modo curari posset, licet multorum Sanctorum auxilium invocaret, facto voto fratri Petro statim curata fuit.

54. Marina dicta Vouga de Baiona, iurata et interrogata dixit, quod cum comederet os hedini ad quantitatem policis, ita gutturi eius inhaeserat, quod non respirare poterat, nec salivam nisi cum difficultate maxima transglutire. Cum autem multorum Sanctorum auxilium invocaret, nec sibi in aliquo profuisset, facto voto fratri Petro statim os in stomachum descendit, et omnino liberata fuit. Et Midus Vouga maritus eius idem asseruit.

55. Maria Martis de Paleariis in Cauto de Merusi, iurata et interrogata dixit, quod cum per octo dies spina piscis in gutture remansisset, nec posset comedere, nec salivam nisi cum difficultate maxima transglutire, facto voto fratri Petro statim plene curata fuit.

56. Guncina Petri de Iumicis in Parochia S. Iacobi de Pontellis, iurata et interrogata dixit, quod cum per sex menses gutturnosa fuisset, et lupinum magnum iuxta quantitatem unius ovi in gutture tenuisset, de quo multum verecundabatur, venit ad sepulchrum fratris Petri, et facta oratione cum Domum rediret, lupinus ille disparuit, et omnino consumptus est. Et Petrus Ioannis vir eius iuratus et interrogatus idem asseruit.

57. Puer quidam Ioannes nomine de Budiño habuit, per annum in digitis pedis duos lupinos iuxta ovi passeris quantitatem; venit cum oblatione ad sepulchrum fratris Petri et

statim ambo lupini invisibiliter ceciderunt. Hoc parentes eius iurati et interrogati asseruerunt.

58. Ioannes Fernandes de Caaveiro, Tudensis Dioecesis, habebat lupinum in manu dextera iuxta quantitatem unius ovi gallinae, de quo multum gravabatur, ita quod vix poterat cum illa manu aliquid operari; et venit cum oblatione vespertina ad sepulchrum fratris Petri, et sequenti die mane omnino curatus est. Hoc Petrus Laurentius vicinus eius, qui cum illo iverat ad sepulchrum, et Maria Petri uxor illius qui lupinum tenuerat, idem asseruerunt.

59. Ioannes Petri de Sta. Columba, Tudensis Dioecesis, iuratus et interrogatus dixit, quod per octo dies habuerat guttur valde inflatum, et faciem cum labio superiori, nec poterat loqui, nec comedere, nisi cum magna difficultate, et induto capucio cappae fratris Petri statim restitutus est pristinae sanitati, et Maria Petri mater eius iurata et interrogata idem asseruit.

60. Petrus Petri de Longovares, Tudensis Dioecesis, iuratus et interrogatus dixit, quod per duos dies ex dolore gutturis non comederat, nec locutus fuerat; et facto voto fratri Petro statim locutus fuit, et omnino curatus est.

61. Martinus Ioannis de Varveita, Tudensis Dioecesis, iuratus et interrogatus dixit, et uxor eius Maria Martis, qui habebant filium qui per quindecim dies habuerat os valde tortum, et oculum semper clausum; et facto voto fratri Petro statim effectus sanus est.

62. Michael Vincentii de Tangildi, Tudensis Dioecesis, iuratus et interrogatus dixit, quod cum per quattuor dies ex iliaca passione gravissime pateretur, ad eo quod non posset comedere, nec bibere, nec dormire, et iam omnino de vita desperaret, facto voto fratri Petro, statim curatus est, et ex tunc numquam infirmitatem illam sensit. Et Maria Petri uxor eius iurata et interrogata, idem dixit.

63. Sancia Petri de Alveos iurata et interrogata dixit, quod per tres hebdomadas ex iliaca passione gravissime afflicta fuerat, ita quod numquam dormierat, nec aliquo modo quiescere poterat, incessanter clamabat; et facto voto fratri Petro, statim dolor cessavit, et ex tunc numquam illam infirmitatem habuit. Et Maria Petri soror eius iurata et interrogata idem asseruit.

64. Ioannes filius de Villanova, Tudensis Dioecesis, iuratus et interrogatus dixit, quod per octo dies et amplios dolorem continue passus fuerat gravissimum dentium, et nihil poterat comedere, nec dormire. Facto autem voto fratri Petro omnino curatus est. Et Maior Ioannis uxor eius iurata et interrogata idem dixit.

65. Quidam Terdo Compostellanus per magnum tempus manum contractam, habuit, et digitos recurvos, et brachium infirmum, adeo quod non poterat cum illo aliquid operari; et veniens ad sepulchrum fratris Petri ibi plene curatus est. Et Ferdinandus Ioannis, Sacerdos, et Ioannes Fernandes, et Petrus Pelagii Tudensis, iurati et interrogati dixerunt se vidisse eum prius contractum, et postea ad sepulchrum curatum.

66. Martinus Ioannes de Geregio, Tudensis Dioecesis, dixit, quod per octo menses gravissimum dolorem in dextero brachio pateretur, ita quod per illud tempus vix poterat dormire, et haberet ipsum brachium valde infractum, et ad collum semper suspensum, venit ad sepulchrum patris Petri et statim omnino curatus est.

67. Elvira Petri de Baiona, iurata et interrogata dixit, quod cum per quinque hebdomadas incredibilem dolorem brachii, capitis, et auris, nasi, et dentium pateretur, apparuit ei quidam in somnis dicens: fac votum fratri Petro, et curaberis; quod cum evigilans faceret, statim itae sana facta est, acsi numquam dolorem illum passa fuisset

68. Petrus dictus Mancipium de Baiona, iuratus et interrogatus dixit, quod per magnum tempus omnes digitos utriusque manus contractos habuerat, et facta oratione ad sepulchrum fratris Petri, statim extensi sunt omnes digiti, et restitutus est pristinae sanitati. Et Martinus dictus Sarraus iuratus et interrogatus idem asseruit, et se huic miraculo interfuisse.

69. Fernandus Martiz de Reboreda, Tudensis Dioecesis, iuratus et interrogatus dixit, quod cum graviter per quattuor menses in dextero brachio pateretur, ita quod nullo modo posset illud extendere, numquam cum illo cibum capere nec operis quidpiam facere, venit ad sepulchrum fratris Petri, et fusa prece ad eum statim melius habuit, et die sequenti omnino restitutus est pristinae sanitati. Et Ioannes Pelagii vicinus eius iuratus et interrogatus dixit, quod praesens erat ad sepulchrum quando Dominus curavit eum.

70. Petrus Fernandes de Loveli in Cervaria, et uxor eius Maria Petri, iurati et interrogati dixerunt, se habere filiam quae ex infirmitate gravi utraque brachia habuerat valde inflata et mortificata, ita quod nullo modo poterat illa in aliquam partem ducere nec movere. Et duxerunt eam ad sepulchrum patris Petri, et statim facta oratione curata est.

71. Maior Petri de Castrellis in Fragoso, iurata et interrogata dixit, quod cum per sex menses et amplius a lecto numquam surgere potuisset, haberet etiam ampullas magnas in corpore, et de humeris et gutture et tibiis sanies emanaret; imposita super equam venit ad sepulchrum fratris Petri, et facta oratione plene curata est. Et Ioannes Sannis vir eius iuratus et interrogatus idem asseruit.

72. Petrus dictus Petrarius de Vigo, Tudensis Dioecesis, iuratus et interrogatus dixit, quod per quindecim dies in manu dolorem gravissimum pateretur, et digitos illius manus aliquo modo extendere non valeret; facto voto quod manum ceream adduceret ad sepulchrum fratris Petri, statim omnino curatus est; et Maior Garciae uxor eius quae miraculum vidit, iurata et interrogata idem dixit.

73. Martinus Fernandi de Sto. Andrea de Comesama, Tudensis Dioecesis, et uxor eius Maria Ioannis, iurati et interrogati dixerunt, quod habebant filium quinque annorum cuius maius intestinum quod longavum a medicis nominatur, per magnum tempus frequenter exhibat ad mensuram unius palmi et dimidii; cum autem puer ille vellet assellare intestino ad tergum reflexo puer collum et scapulas proprio stercore respergebat; adductus autem ad sepulchrum fratris Petri statim restitutus est pristinae sanitati.

74. Alfonsus Pelagii de Longovares, Tudensis Dioecesis, iuratus, et interrogatus dixit quod per quindecim menses in genu graviter passus fuerat, nec unquam per illud tempus a lecto surrexerat, et multum clamans et eiulans fere numquam quiescebat. Et ligata ad genu quadam particula tabularum quae sunt iuxta sepulchrum fratris Petri, statim sanus effectus, de lecto surrexit. Et Maria Ioannis uxor eius iurata et interrogata idem asseruit.

75. Maria Laurentii de Eldaris, Tudensis Dioecesis, iurata et interrogata dixit, quod per septem dies ex dolore cordis gravissime pateretur, adeo quod sibi nihil aliud quam rabiens videretur, nec aliquo modo posset comedere, nec dormire; facto voto a marito ipsius fratri Petro, statim curata fuit; et Durandus Petri maritus eius iuratus et interrogatus idem asseruit.

76. Orracha Petri de Rivofrigido iurata et interrogata dixit, quod cum per quinque hebdomadas passa fuisset graviter in mamilla et ipsam mamillam haberet valde inflatam, nec aliquo modo posset quiescere, facto voto fratri Petro statim quievit, et omnino curata est; et Martinus Pelagii vir eius idem dixit.

77. Petrus Ioannes de Mandin, Tudensis Dioecesis, iuratus et interrogatus dixit, quod cum fere per viginti annos in pedibus verrucas multas et magnas sicut castaneas tenuisset, et ex hoc nimium gravaretur quod nullo modo portare poterat sotulares, venit ad sepulchrum fratris Petri, et facta oratione omnes illae verrucae statim invisibiliter et insensibiliter ceciderunt. Et Nunus Laurentii miles iuratus et interrogatus idem asseruit.

78. Ioannes Petri de Sta. Christina, in Fragoso, iuratus et interrogatus dixit; quod habebat filium annorum trium qui numquam ambulaverat, nec super pedes se erexerat, et venit cum illo ad sepulchrum Fr. Petri, et fussa prece ad eum, statim ibi puer ipse surrexit, et ex

tunc semper ambulavit. Et Ferdinandus Alfonsi et Maria Fernandez iurati et interrogati idem dixerunt.

79. Elvira Fernandez de Sta. Christina, in Fragoso, iurata et interrogata dixit; quod habebat filiam duorum annorum et dimidii, quae numquam ambulaverat, quam cum duceret ad sepulchrum Fr. Petri statim ibi ambulavit, et ex tunc semper incedit. Et hoc maritus eius, et Didacus Odoarii qui cum illa venerat ad sepulchrum iurati, et interrogati dixerunt.

80. Ioannes Petri de Canis Tudensis Dioecesis, et Elvira Meñdi uxor eius, iurati et interrogati dixerunt, quod habebant filiam triennem quae numquam ambulaverat, et duxerunt eam ad sepulchrum fratris Petri, et ex tunc semper incedit.

81. Donus Sugerius Archidiaconus Tudensis, iuratus et interrogatus dixit, se vidisse in Ecclesia Tudensi quemdam puerum VI annorum, qui secundum quod parentes pueri referebant per magnum tempus tibias contractas habuerat, et per illud tempus numquam a lecto surrexerat saltem semel; facto autem voto a matre ipsius, ut ducerent illum ad sepulchrum Fr. Petri, mox quidam puer adveniens foris stans vocabit eum dicens; Stephane veni foras, et statim puer qui contractus fuerat extensis tibiis exiliit de strato in quo iacebat, et ex tunc sine aliquo adminiculo erectus semper incedit.

82. Arias Pelagii Canonicus et Ioannes Mr. Capellanus Tudensis, iurati et interrogati dixerunt, se vidisse in Ecclesia Tudensi quemdam puerum fere decem annorum, qui ut a portatoribus dicebatur, per magnum tempus tibias contractas habuerat, adeo quod calcanei natibus adhaerebant; facta autem oratione pro eo ad sepulchrum Fr. Petri restitutus est pristinae sanitati.

83. Duo pueri gemini qui a nativitate manus et tibias contractas habebant, fuerunt simul curati ad sepulchrum Fr. Petri. Hoc Petrus Ioan. Suptor de Benevivere iuratus et interrogatus dixit.

84. Maior Petri de Sto. Petro de Turre, iuratus et interrogatus dixit, se habere filium qui ex paralyti amiserat latus dextrum, et nullo modo incedere poterat, nec comedere, nec loqui, nisi valde impedit, et adduxit eum ad sepulchrum Fr. Petri, et ibi plene curatus est. Et Ioannes Mr. et Dominicus Mr. de Villamediana iurati et interrogati dixerunt, quod viderunt eum prius infirmum duci ad sepulchrum, et postea viderunt eum inde redire curatum.

85. Sugerius Nuñi de Gondorim, Tudensis Dioecesis, iuratus et interrogatus dixit, quod per sex menses in toto corpore passus fuerat, et fere semper in lectulo decubans, ita quod numquam a lecto surrexerat, nec umquam nisi cum difficultate maxima cibum sumpserat,

et adductus per Mineum in quadam navicula ad sepulchrum Fr. Petri, inde plene curatos recessit; et Michael Sugerii filius eius iuratus et interrogatus idem dixit.

86. Fernandus Ioannes de Revoreda, Tudensis Dioecesis, iuratus et interrogatus dixit, quod per tres annos valde graviter passus fuerat, et fere semper in lecto decubans, saniem foetidam valde et in magna quantitate expuebat, et ivit ad sepulchrum Fr. Petri, statim omnino sanus effectus est. Et Ioannes Gomecii vicinus ipsius iuratus et interrogatus idem dixit, excepto quod non vidit quando.

87. Orfenda Petri de Zopu, Tudensis Dioecesis, iurata et interrogata dixit, quod cum in pede spinam quamdam per annum et amplius tenuisset, ex quo pedem valde inflatum habebat, et dolorem gravissimum sustinebat, facto voto Fr. Petro quod sepulchrum eius quocumque modo posset, sive in navicula, sive in equitatura, quantotius visitaret; eadem die spina in pede eius apparuit, et extracta statim sanitatem pristinam recuperavit; et Maria Sugerii vicina ipsius iurata et interrogata idem dixit, excepto quod non vidit quando spina exivit.

88. Elvira Garsiae de Parochia S. Petri de Mou. iurata et interrogata dixit, quod per sex hebdomadas ex infirmitate gravi habuerat tibiam contractam, nec aliquo modo poterat ambulare, nec etiam super baculum; et facto voto Fr. Petro statim per se surrexit, et super baculum incedit, ivit ad sepulchrum, et inde curata recessit.

89. ... de Parata in cauto de Monufi, iuratus et interrogatus dixit, quod per undecim menses a lumbis et infra graviter passus numquam a lecto surrexerat; et facto voto fratri Petro, statim exiliens venit ad sepulchrum eius, et inde plene curatus recessit. Et Fernandus Alfonsi frater eius iuratus et interrogatus idem dixit.

90. Puer quidam, annorum novem, Stephanus nomine, de Portu Arnado, habuit per annum ex infirmitate gravi tibias contractas, et in natibus defixas, qui dum mater eius pro eo iret in peregrinationem ad sepulchrum fratris Petri, ipse de lecto surrexit, et extensis tibiis ambulare coepit; et mater eius de sepulchro rediens invenit eum plene curatum. Hoc Petrus Gunsalvi, et Maior Petri iurati et interrogati per omnia asseruerunt.

91. Alfonsus Petri de Ermosede, et uxor eius Maria Ioannis iurati et interrogati dixerunt, quod habebant filium qui per sex hebdomadas tibiam contractam et fere natibus coniunctam habuerat, et adduxerunt eum cum oblatione ad sepulchrum Fr. Petri, et ibi tibia extensa est, et ex tunc semper incedit.

92. Maria Gunsalvi de Castrica Tudensis Dioecesis, iurata et interrogata dixit, quod cum per octo hebdomadas continue graviter pateretur, et per octo dies numquam comederet, nec bibisset, quia aquam videre etiam abhorrebat, facto voto fratri Petro, et concesso quod

eius nomine faceret se vocari, statim per se de lecto surrexit, et aquam accepit, et bibit, et comedit, et plene curata fuit. Et Maria Fernandez nutrix eius iurata et interrogata, excepto de tempore, idem per omnia dixit.

93. Maria Petri de Comesania Tudensis, Dioecesis, iurata et interrogata dixit, quod cum per tres menses in toto corpore graviter pateretur, et fere nihil comederet nisi terram, venit ad sepulchrum Fr. Petri, et statim plene curata fuit; et Maria Ioannis vicina ipsius iurata et interrogata idem dixit.

94. Sancia Mrz. de Coya, Tudensis Dioecesis, iurata et interrogata dixit, quod per tres annos continue valde inflata fuerat in toto corpore, nec unquam se a lecto surrexerat; et facto voto Fr. Petro statim per se surrexerat, et pedes ivit ad sepulchrum eius, et ex tunc curata fuit, et Guntrada Ioannis vicina ipsius iurata et interrogata idem dixit.

95. Arias Petri miles, de Portela, et uxor eius Orraca Petri iurati et interrogati dixerunt, se habere quemdam filium qui ex infirmitate gravi fere per sex menses numquam ambulaverat, nec de uno loco surrexerat, et missa pro eo oblatione per quemdam hominem ad sepulchrum Fr. Petri, eadem hora qua oblatio oblata est ad sepulchrum, puer per se surrexit, et ambulavit et omnino sanus effectus est.

96. Ioannes Fernandez miles de Ateos iuratus et interrogatus dixit, quod cum fere per duos annos in pede graviter pateretur, tetigit illo sepulchrum Fr. Petri et ex tunc curatus fuit.

97. Ioannes Meires de Matamala, Tudensis Dioecesis, iuratus et interrogatus dixit, quod cum per octo menses graviter afflicto in lecto continue iacuisset, et quadam die quasi iam positus in extremis, lectus in quo iacebat ad orientem poneretur, ut sic spiritum exhalaret, facto intra se voto Fr. Petro, statim curatus est.

98. Maria Ioannis de Comesanea, Tudensis Dioecesis, iurata et interrogata dixit, quod per octo menses et amplius graviter afflicta in lecto iacuerat, nec poterat loqui, nec comedere, nisi cum magna difficultate; et facto voto Fr. Petro statim restituta est pristinae sanitati.

99. Michael Pelagii de Vite, Tudensis Dioecesis, iuratus et interrogatus dixit, quod cum per sex hebdomadas inflatus valde fuisset in toto corpore, ivit ad sepulchrum Fr. Petri, et facta oratione statim deinflatus est, et omnino curatus; et Petrus Pelagii Praelatus Ecclesiae S. Mariae de Vite iuratus et interrogatus idem dixit.

100. Ioannes Ariae Sacerdos, de Rivo artemii, iuratus et interrogatus dixit, quod per sex menses et amplius graviter infirmus numquam a lecto surrexerat, et facto voto Fr. Petro, statim de lecto consurgens ivit ad sepulchrum eius, et inde curatus recessit.

101. Maria Ioannis de Ponte Castelli, Auriensis Dioecesis, iurata et interrogata dixit, quod per annum graviter in toto corpore passa fuerat, ita quod raro de lecto surgebat; et facto voto Fr. Petro, quod visitaret sepulchrum eius, si eam ab illa infirmitate infra octo dies curaret; elapsis paucis diebus plenam sanitatem recepit, et Ioannes Ioannis, vir eius iuratus et interrogatus idem asseruit.

102. Mayor Ioannis de Maadelus, in ripa Minei, iurata et interrogata dixit quod per tres menses in manibus, et pedibus graviter passa fuerat, ita quod cum manibus nihil ceperat, nec a lecto surrexerat, et dato fideiussore, quod sepulchrum fratris Petri cum oblationibus visitaret, statim de lecto surrexit, et de infirmitate omnino curata fuit; et Pelagius Frz. vir eius iuratus et interrogatus idem dixit.

103. Maria Vincentii de Mirufi, iurata et interrogata dixit, quod per sex menses graviter infirma semper in lecto iacuerat, nec aliquo modo comedere poterat nec dormire, et facto voto Fr. Petro statim de infirmitate curata fuit; et Petrus Petri vir eius iuratus et interrogatus idem dixit.

104. Ioannes Petri de Moaña in Morrazo Compostellanae Dioecesis, iuratus et interrogatus dixit, quod particula cuiusdam ligni acutissima intraverat digitum eius, et ex hoc habuerat per tres hebdomadas manum cum digito valde inflatam, nec aliqua chirurgicorum arte poterat ei remedium adhiberi, de cura digiti omnino desperabat; facto autem voto Fr. Petro statim lignum de digito per se exivit, et ipse plene curatus fuit. Et Ioannes Ioannis et Arias Pelagii vicini eius iurati et interrogati idem dixerunt.

105. Puer quidam quinquennis nomine Marinus de Parochia S. Petri de Caela, terrorem tantum per octo dies habuit, quod nec quiescere poterat, nec dormire, et multum clamabat, et volebat fugere ne a parentibus caperetur; adductus autem ad sepulchrum Fr. Petri statim timorem amisit, et numquam postea terrorem illum incurrit. Hoc parentes eius, scilicet Ioannes Beate et Dominica Frz. iurati et interrogati dixerunt.

106. Ioannes Mrtz. de Benevivere, et uxor eius Marina Frz. iurati et interrogati dixerunt, quod habebant filium qui per duos menses sensum amiserat, et qui stultus per montes discurrebat, et adduxerunt eum cum oblatione ad sepulchrum Fratris Petri, et statim sensum recuperavit, nec unquam ex illa infirmitate postea laboravit.

107. Petrus Ioannis de Castrellis, Tudensis Dioecesis, et uxor eius Maria Ioannis, iurati et interrogati dixerunt se habuisse filium ex iliaca passione per quinque hebdomadas continue laborantem, et quadam die dum iam extremis laborare videretur, facto voto a Patre suo fratri Petro, statim omnino curatus fuit, et numquam postea illam infirmitatem sensit.

108. Petrus Petri de Valladares in Fragoso, et Maria Pelagii uxor eius, iurati et interrogati dixerunt, quod habebant filium qui ex infirmitate gravi per quattuor menses numquam super pedes steterat; et facto voto fratri Petro statim omnino curatus fuit.

109. Maria Mrtz. de Sto. Pantaleone in Minei ore Tudensis Dioecesis, iurata et interrogata dixit, quod habebat filium novem annorum, qui per annum et amplius gravissimum dolorem cum inflatione magna patiebatur in testiculis, et in virga; facto autem ab ea voto Fr. Petro statim puer omnino curatus est, et Elvira Petri avia pueri iurata et interrogata idem dixit.

110. Laurentius Froile de Capraria, Tudensis Dioecis, iuratus et interrogatus dixit, quod cum fere per duos annos febrem quartanam continue habuisset, apparuit ei frater Petrus Gunsalvi in somnis dicens: vade ad sepulchrum meum, et curaberis; et venit ad sepulchrum, et statim febris dimisit eum.

111. Fernandus Trigarius de Retundela, iuratus et interrogatus dixit, quod cum fere per annum febrem quartanam habuisset, in somnis apparuit ei quidam frater in habitu Praedicatorum dicens: vade ad Donum. Fr. Petrum Gunsalvi, et miserebitur tui; quod evigilans fecit, et omnino curatus fuit.

112. Maior Petri de Parata, Tudensis Dioecesis, iurata et interrogata dixit, quod cum per novem annos et amplius continuis febribus graviter laboraret, et raro a lecto surgens valde inflata esset, veniens cum oblatione ad sepulchrum Fr. Petri, et facta oratione, numquam postea sensit febrem illam. Et Petrus Mrtz. vir eius iuratus et interrogatus idem dixit.

113. Michael Pelagii, de Leirado, Tudensis Dioecesis, iuratus et interrogatus dixit, quod cum per annum febrem tertianam passus fuisset, et totum corpus valde inflatum haberet, venit ad sepulchrum fratris Petri, et statim ab illa febre curatus fuit; et Maior Petri uxor eius iurata et interrogata idem dixit.

114. Martinus Petri de Budino gravatus lepra per triennium, non tamen ab hominibus omnino separatus, ivit ad sepulchrum fratris Petri, et petivit ab eo, quod statim moreretur, quia per lepram nimium verecundabatur, et dum recederet a sepulchro, statim in via coepit graviter infirmari, et veniens domum eadem die qua iverat ad sepulchrum spiritum exhalavit. Hoc Salvator Petri et Praelatus eius et Donnus Salvator Monachus de Budiño, et Petrus Petri, qui cum praedicto Martino iverat ad sepulchrum Fr. Petri iurati et interrogati per omnia asseruerunt.

115. Maria Diaz Arrizada de Sardoma, iurata et interrogata dixit, quod habebat virum qui per annum et amplius habuerat faciem valde inflatam, et oculos laesos, et palpebras

descendentes, ita quod leprosus ab omnibus dicebatur, et veniens ad sepulchrum Fr. Petri statim curatus fuit.

116. Maria Ioannis de Camues, Tudensis Dioecesis, iurata et interrogata dixit, quod cum fere per duos menses ampullas magnas in toto corpore tenuisset, et cum infecta iam ab omnibus crederetur, venit ad sepulchrum Fr. Petri, et fussa prece ad eum statim sana effecta est. Et Maria Alfonsi vicina ipsius, iurata et interrogata idem dixit.

117. Maria Ioannis de Parata, Tudensis Dioecesis, iurata et interrogata dixit, quod cum timorem magnum incidisset, ita quod per novem menses nec dormire nisi raro, nec bibere potuisset, non enim vinum nec aquam videre poterat, quamvis nimium sitiebat, sed occulte dabatur ei potus in cucurbita, cum bibere oportebat; venit ad sepulchrum Fr. Petri, et facta oratione statim ibi quievit, et dormivit, et omnino a timore curata fuit.

118. Elvira Mrtz. de Benevivere, Tudensis Dioecesis, iurata et interrogata dixit, quod habuerat virum suum valde exosum, ita quod multoties eum dimiserat, nec aliquo modo tunc poterat ei reddere debitum coniugalem, propter quod per triennium extiterat excommunicata, et veniens ad sepulchrum Fr. Petri, et facta oratione statim odium versum est in amorem, et ex tunc vixit cum viro suo in magna pace.

119. Ioannes Petri de Valladares in Fragoso, iuratus et interrogatus dixit, quod cum ex morsu araneae in manu dolorem gravissimum pateretur, et clamans et eiulans quiescere non valeret, facto voto Fr. Petro statim dolorem amisit et pleno curatus fuit.

120. Petrus Ioannes de Causalibus in Parochia Stae. Eulaliae de Atios, iuratus et interrogatus dixit, quod per quindecim menses continue gravem dolorem lumborum passus fuerat, ita quod per illud tempus numquam a lecto surrexerat, et facto voto Fr. Petro statim de lecto surrexit, et eadem die per duas leucas ambulavit, et ex tunc sanus fuit, et Nunnus Pelagii et Sancia Frz. uxor praedicti Petri Ioannis iurati et interrogati idem dixerunt.

121. Maria Petri de Rial, Tudensis Dioecesis; iurata et interrogata dixit, quod cum haberet faciem valde inflatam, et ampullas magnas in ipsa facie, ita quod leprosa ab omnibus putaretur, ivit ad sepulchrum Fr. Petri, et manum dexteram, qua sepulchrum contigerat, ponens super faciem, statim curata fuit; et Petrus Petri vicinus eius, qui cum ea iverat ad sepulchrum, idem per omnia asseruit.

122. Maria Fernandez de Rivarteme, iurata et interrogata dixit, quod cum per duos annos et dimidium continuis febribus laboraret, facto voto Fr. Petro statim febris dimisit eam, et numquam postea sensit illam, et Lupus Mendi vir eius iuratus et interrogatus idem dixit.

123. Maria Petri, de Crescente, Tudensis Dioecesis, iurata et interrogata dixit, quod habebat filiam quae per duos annos frequenter a daemonio vexata fuerat, et facto voto Fr. Petro, numquam postea vexata fuit.

124. Rodericus Frz. de Valladares, in Fragoso, iuratus et interrogatus dixit, se habere filiam quae per unum diem et partem noctis continue vexata a daemonio, non comederat, nec biberat, nec locuta fuerat, et dato fideiussore quod duceret eam ad sepulchrum fratris Petri, statim puella loquuta fuit, nec unquam postea daemonium eam vexavit. Et Fernandus Petri qui pro ea fideiussit iuratus et interrogatus idem asseruit. Dixit etiam ipse Fernandus Petri quod Fr. Petrus Gunsalvi bis venerat ad eum nocte dicens: quare non solvis illud pro quo fideiussisti?

125. Fernandus Nuni de Molis in Laurinia, iuratus et interrogatus dixit, quod per quinque hebdomadas graviter passus numquam a lecto surrexerat, et omnino de salute corporis desperabat; cum autem suspenderet ad collum quamdam particulam tabularum quae positae sunt iuxta sepulchrum fratris Petri, statim de lecto surrexit, et plene curatus fuit; et Maria Thomae uxor eius iurata et interrogata idem dixit.

126. Fernandus Nunii de Baiona, iuratus et interrogatus dixit, quod cum per quattuor menses ex toto lumen amisisset, facto voto Fratri Petro statim lumen recepit. Et Maria Petri uxor eius iurata et interrogata idem asseruit.